

ro castigandus fuit: Hanc tantum tem^oporis, & cum tempore rerum omnium celeritatem cernebat Heraclides, sed affectator breuitatis ambiguae, paucissimis hæc verbis impleuit: Quæ mihi quidem omnia à primis annis & lecta & audita & asseruata memoriter, sed diu tenaciter credita, nunc tandem tam comperta sunt, vt penè manibus palpentur, nec aliter annos numerare cœperim, quam solebam dies. Sic me rapi video, sed remanere nihil post tergum stupeo, vt rudis vector secundis flatibus, puppe conuulsa littora nota circunspiciens, ex oculis eripi, & arenam quàm pedibus antè calcauerat sed sedente euanescere, cui, vt Virgilius ait:

Terraquæ urbisque recedunt.

Certè maiori hominum parti sedenti & ociose, & quod admiror, non sentienti tempus, & mortalia cuncta præterfluunt, hinc est, vt extremò longæuæ vitæ positi, se senuisse non intelligant, quod sollicitudines & vigiliæ testantur, quas profectò non tam cupidè susciperent, si superuacuas scirent: Scirent autem si fortè expergiscerentur, & vbi sunt aliquando respicerent. Idem enim talibus euenit,

(V)